



v<sup>o</sup> 11

offen. 4 17.

- 1) Pfaffrad, C.
- 2) Carpizow, B.

N. VI. 49.





13

I. N. 9. A.

INTRODUCTIONIS AD LOCOS

Theolog. B. Chemnitii,

DISPUTATIO XII.

Ex quâ,

DE

PRIMO UNIONIS PER-  
NALIS CONSEQUENTI

Scilicet

*Unionis & Naturarum Communionis*

*Præside*

JOHAN-BENEDICTO CARPZOVV SS. Theol.

Licentiato, Profefs. Publico, & ad D. Thomæ

Ecclesiasse ;

*Respondente*

JOHANNE ROLLIO Gloga-Siles.

XVI. Novembr. Anni 1648.

*disputabitur.*

---

LIPSIAE,

Typis HENNINGI COLER.





V I R O  
*Plurimum Reverendo, Clarissimo,*  
**DN. M. BALTHASARI CUPFERO,**  
Ædis Francofurtanæ ad Oderam Cathedralis Ec-  
clesiastæ Fidelissimo, Venerandiq; ejusdem Ministerii Seniori,  
Domino, Patrono, Adfiniq; suo ætatem omni studio  
suspiciendo, Observando

*Ἐμπνεύσασθε hoc Christologicum, ut in publicum iret debitus animi  
sui cultus, gratitudinisq; pro beneficiis acceptis exhiben-  
da conamen.*

**Offerendo, & consecrando ad ulteriorem  
benevolentiam invitatur**

*Johannes Rollius Resp.*



Eximio ac literatissimo Dn. Commensali Amico fautori; per-  
dilecto iterum in Theologicis disputaturo ;  
ita gratulatur.

**T**E noscas ipsum non infima gentibus esse lex,  
Lex nobis, Christum nosse, beatus eris.  
Namq; hunc si bene scis nihil esse, si cetera nescis,  
Christum si nescis, scire tuum nihil esse.  
Rollius ergo sciens, felix conjunxit utrumq;  
Novit sese ipsum, Christicolamq; a probat.  
Idem investigat Jesum cognomine Christum,  
Nobiscum confert, disputat b atq; tenet.

a In Diss.  
de Christi-  
ano.  
b In Diss.  
de Commu-  
nicatione.

jure amoris benevolentiaq; singularis

Colberg von Colberg.

**Q**uistua, Pieridum Soboles, conamina ROLLI,  
Non celebret, studiumq;ve tuum, gnavosq; labores!  
Pulpita dum rursus per amico fidere scandis  
Et divi gestis Verbi referare favissam.  
Quantas contineat gazas & præmia quantâ  
En post victrices palmas quæ gloria surget?  
THEOLOGIE sacro meditatur pectore cultus  
Quos ferat in gremium, tibi præmia Patria tellus,  
Apparat, & SOPHIE nomen transcribere chartis,  
Victuris cupit, ut vigeas post Busta superstes.

M. Philippus Jacobus Sachs, Colleg. Maj.  
Princip. Collegiatus.

Doni-



**A** Onidum decus & Parnassi gloria **ROLLI**,  
Rem facis applausu dignam, dignamq; favore,  
Frivola quod nunquam minimèq; superflua trahes,  
Nam Te sacra juvant, quæ succo & sanguine plena,  
Sic nostras recreant mentes, sic pectora firmant,  
Ut quæ Fortuna vexant ludibria vitam,  
Hæc animus falso valeat contemnere risu.  
Gnaviter inceptam pergas absolvere telam  
**ROLLI**, nec justo deerit Tibi tempore merces.

Ὡς ἐν παρόδῳ in gratiam Dn. Commensalis &  
Contubern, sui honoratissimi, appos.

Joachimus Georg Baleke / Jur. Stud.

**F I N I S**



## MEMBRUM III.

De

PRIMO UNIONIS PERSONALIS  
CONSEQUENTI

Scilicet

Ἱποστάσεως &amp; Naturarum Communione.

I. Tam *arcta* est Hypostatica Unio, ut inde in Persona Christi sequatur *vera* *ἰσχυρὰ* & *ὑποστασεως* & Naturarum, Chemn. p. 32, 33.

§. 1.

**B**enè Chemnitius Cap. XII. p. 74. b. monet: Qui de ipsis naturis ac de earum Unione, rectè se clamat sentire, si ea, quæ ex Unione illa juxta Scripturam oriuntur & consequuntur, vel negat, vel non sanè ea exponit, aut intelligit, eum de ipsa etiam Unione, quæ nec Confusionem nec Separationem admittit, non posse rectè sentire, certum est. Et paulò post: Veteres omnia illa uno generali vocabulo *ἰσχυρὰς* complecti voluerunt. Non enim vera est hypostatica Unio, ubi nulla profus vel sit vel est, vel intercedit inter Naturas Unitas, & inter earum Idiomata Communio vel Communicatio, differentie naturarum & Unitati Personæ Consentanea & Correspondens, vel ubi altera Natura cum altera nihil habet commercii. Et qui fingit Unionem sine tali communiōe, is se & alios seducit.

§. 2. Distinguitur autem hæc Communio ab Unitione Personali ipsa, tanquam effectus à sua Causa proxima. Arctissima enim Unio ista generat tam subsistentiæ, quàm Naturarum Communionem.

§. 3. Et neminem turbet, si viderit ad ipsam Unionis Personalis formalem rationem & differentiam specificam, *ἰσχυρὰν* hanc à nonnullis Orthodoxis Theologis referri. Nulla enim hic pugna est,

A.

si mo-



si modò duo observentur (1.) de *Unione seu statu toto* non de *formali Unione* illos *Theologos* agere: Nobis verò de *Unione & statu* in hoc membro curam esse. Quid autem discriminis intersit, notatum est *suprà*, ut repetere ea hìc non necesse sit. (2.) *Communione & Communicatione* non uno modo dici, sed *triplicem* habere *significationem*. Nam vox *κοινωνίας* sumitur vel 1. *Activè & ipsam dationem* s. actum notat: vel 2. *Passivè pro participatione* vel *acceptione* vel 3. *Relativè & significat relationem & habitudinem* mutua[m], *societatem & communionem* in rei datæ & acceptæ possessione & fruitione. Quando de *formali ratione Unionis Personalis* quæstio est, & *κοινωνία* nominatur, tunc vox hæc accipitur tum *Activè pro Unionis actu*, respectu *Divinae Naturæ*, quæ *Humanam Naturam* assumit, & sese illi communicat; tum *Passivè respectu Humane Naturæ*, cujus est assumi & perfici à *Divina Natura*: Quando autem de *Consequente Unionis* disquiritur, tunc vox *κοινωνίας* non nisi *relativè* capitur, & *habitus mutua* inter duo unita indicatur ac commodè voce *Communione* designatur.

§. 4. Per *Communione* *ὑπόστατος* non intelligimus *inhesionem subjectivam* personalis *subsistentiæ*, ac si hæc in *Carnem* tanquam in *subjectum suum* effusa, eidem *subjectivè & formaliter* inhaereret: Sed *veram, realem* ac perpetuò durantem *participationem & Communitatem* Unius *Subsistentiæ*, quæ *per se & naturaliter* *Divinæ*, per *Unionis gratiam* verò *Humanæ Naturæ* competit, absq; ulla vel *confusione* vel *effusione* vel *exæquatione*, ita ut *λόγος* sit *ὑπόστατος* non tantum *Divinæ suæ Naturæ*, sed etiam *assumptæ Humanæ Naturæ*, *Chern. p. 33. a. & p. 75. b.* Et cautè observari debet, quod additur, *Humanam Naturam per gratiam Unionis* participare *subsistentiam* hanc. Quia enim *subsistentiam* non *propriam* habet, sed *communicatam*, & non *per se* sed *communiativè*; non dici potest, eam esse *Personam*, esse *Deum*, *per se* subsistere, quod contra *Jesuitas & Calvinistarum Sophisticationes* prænotandum est.

§. 5. Insuper *distingvenda* est in *λόγῳ* *subsistentia* seu *actus personalis*, à *Charactere personali*, ne perperam, ut *Jesuitæ & Calvinistæ* hìc faciunt, ista duo commisceantur. *Actus Hypostaticus*



ticus Personalis s. Subsistentia, est *Personalitas*, per quam λόγος Subsistentiam suam singularem habet, & Divina ac distincta Persona est, ab omnibus creatis personis: Character autem Personalis est ejusmodi *proprietas*, per quam Filius à Patre & Spiritu Sancto distinguitur, ut non sit Pater aut Spiritus Sanctus, sed Filius. In Christo *actus personalis s. Subsistentia* Divina λόγος ita est communicata Humanæ Naturæ, ut non tantum hæc illam habeat, sed etiam ut de Humana Natura prædicari possit Subsistentia Divina: Non verò ita cum *Charactere personali* comparatum est. Etsi enim tota plenitudo Divinitatis habitet in assumpta Carne σωματικῶς, & omnia quæ Divinitas habet, etiam possideantur à Christo, tamen non omnia ita Humanæ Naturæ sunt communicata, ut licet habeantur, etiam *immediatè prædicari de ea possint*. Hinc rectè dico: *Assumta humana Natura habet Subsistentiam Divinam, vel subsistit Divinâ, quæ Filii DEI propria est, Subsistentiâ*: At non dicere possum: *Humana Natura genita est ab eterno*. Quia in posteriore enunciatur *Character*, qui distinguit Personas Divinas invicem: In prioriverò communicatur *actus Personalis*, qui Personam & λόγος Divinam à personis creatis discernit. Vid. Dn. Schröder. in *Sceptr. Regali Christi*, p. 1415.

§. 6. *Communio* Naturarum nihil aliud est, quàm *presentia* & *ἁχώρησις* duarum Naturarum *durans ac perpetua*, quæ vera ac reali societate & *Communione* tum Activâ respectu Divinæ, tum Passivè dictâ respectu Humanæ Naturæ, fruuntur, absq; omni confusione, effusione & exæquatione. Conferantur quæ *Membro præced.* dicta sunt. Vid. Gerhard. *Exeges.* §. 148. *seqq.* p. 1283. *seqq.* Hütter. in *F. C. Art. IIX.* p. 750. *seqq.*

## II. Hæc Communio non est *Verbalis*, sed *realis*. p. 76. b.

§. 1. Ratio ex *Regula Nazianzeni*, quæ perpetuò à B. Menzgero in *AntiMartin.* p. 24. 199. 258. 280. urgetur, petitur, quæ hæc est: *Talis est Communio, qualis est Unio*. Jam, inquit Chemn. l. all. *Unio est realis & vera*, non enim nuncupativè tantum vel verbaliter



conjunctæ sunt duæ Naturæ in Christo, sed verè, re ipsa, reverà & realiter.

§. 2. Aliud autem est Communio *physica* & *Essentialis*, aliud *Communio Realis*. Quæ duo *Daneq;* & alii Calvinistæ perpetuò confundunt & *Eutychianæ* Confusionis nostram Ecclesiam iniquissimè inde postulant. Etsi enim non possim dicere: *Humana Natura est Divina*, tamen dicere possum & debeo: *Hic Homo est Deus*, ut *Chemn. l. all.* ostendit, & latius id exponit *B. Gerhard. in Ezeg. §. 153. p. 1288 Gravver. Art. III. A. C. in supplem. p. 236.*

§. 3. Et quidem *Deus homo est*, & *homo Deus est* realiter, non tantùm in *Unione* ubi Naturæ considerari possunt secundùm suas proprietates, sed etiam *per* & *propter Unionem*, ubi non secundùm naturales proprietates Natura de Natura prædicatur in *Concreto*, sed per *Communicationem*.

III. *Communione hujus documentum*, sunt *Prædicationes Personales*, quæ resultant ex *Unione* hac. *Chemn. p. 32. b. 33. a.*

§. 1. Non enim qualemcunq; *Assumptionem* aut *Sustentationem* *Humanæ Naturæ* factam esse in *Personam* ἁ λóγῃ, vel à *Persona* ἁ λóγῃ, sed per eam factam esse *Communicationem* κοινώσεως *Divinæ & Naturarum Communione*, ex *Propositionibus* hanc *Communione* enunciatis est manifestum, ut si nativum *Verborum sonum* quis sequatur, non possit, quin *mutuam Naturarum Communione* deprehendat & confiteatur. *Hæ Prædicationes*, inquit *Chemnitius p. 32. b. pertinet ad ipsam hypostaticam Unionem*, unde oritur talis inter *Naturas unitas κοινωvία in Concerto*, ut *Deus ille sit homo*, & *Homo ille sit Deus*.

§. 2. Distingvendæ a. sunt *Propositiones* & *Prædicationes Unionem Personalem* enunciates à *propositionibus Unionem s. statum* significantibus. Non enim æqvè se habent. Nam (1) uti ipsa *Unitio* non reciproca est, quod *Eckardus in tr. de Desc. ad Inferos. p. 116. 117.* probat, & de eo monet *Gerhard. Exeg. §. 261. p. 1358.* ita nec *propositiones* eam enunciates reciproç esse possunt.

Hinc



Hinc rectè quidem dico: *Deus factus est Homo*: Non autem rectè dico aut propriè: *Homo factus est Deus*. Quia *Natura Divina*, inquit *Chemn. CXIV p. 93. b.* est *assumens*: *Humana verò Natura non est Assumens sed Assumta*. Scotista quidem hanc propositionem non minus quàm illam: *Deus est homo factus*, propriam esse contendunt, & ad Patres provocant. Sed *Thomas 3. qv. 16. art. VII.* negat, & plerosq; sibi consentientes habet. Ita enim *Damasc. lib. III. de O. F. c. 2. §. 8.* γὰρ ἀνθρώπον λέγομεν αὐτὸ θεογένετα· ἀλλὰ θεὸν ἐνανθρωπήσαντα. Videatur *Estius in 3. sentent. distinct. VII. §. 2. (2.)* Uti in *Mysterio hoc Unio & Unio* differunt tanquam actio & status; quod *supra Membr. I.* ostendimus: Ita etiam illæ propositiones, quæ actum Unionis exprimunt, aliæ sunt ab illis, quæ statum Unionis enunciant. (3.) differunt *subjectis*. Nam in propositionibus Unionem enunciantibus *Subiectum* est appellatio *personæ simplicis λόγος ἀσώρητος*: in illis verò quæ Unionem exprimunt *Subiectum* est appellatio *Personæ ἐσώρητος*. Hinc non propriè & accuratè loquendo dici potest: *CHRISTUS assumpsit Humanam Naturam, incarnatus est, filius hominis factus est* ut *Gerhard. in Exeg. §. 184. p. 1323.* scribit & de discrimine hoc §. 156. p. 1193. plura notavit.

§. 3. Negari equidem non potest, apud *Patres nonnullos & Orthodoxos Theologos* hanc phrasin quandoq; usu venire. Sed omnes illi vel conjungunt *Incarnationem* s. *Unionem*, & *Personalem Unionem* s. *statum*, & considerant *CHRISTUM* ut post *Incarnationem Θεάνθρωπος* est: vel *Conceptionem ac nativitatem* ejus exprimunt. Et ita etiam explicanda est phrasim *Epistolæ ad Hebræos*, quando *c. II, 14. & 16.* de *Jesu* prædicatur, quod *particeps sit factus Carnis & Sanguinis & semen Abrahæ assumpsit*, quæ appellatio est *λόγος ἐσώρητος*. Si enim de ipso actu *Assumptionis & συνθεσεως* prædicatum hoc intelligatur, *Subiectum* non erit *Jesus* sed *Filius DEI*, sicut in *c. I.* pro diversitate prædicatorum non uniusmodi est *Subiectum*, & nunc *Filius DEI ἀσώρητος*. Ut persona simplex est loco *subjecti* stat: Nunc *Filius DEI ἐσώρητος* & ut est *Persona σύνθετος*. Si autem non de ipso actu assumptionis, sed *termino seu Relatione ex Unionis seu Assumptione carnis* resultante accipiatur *Verbum*, res clarior est,



erit, & ita exponetur phrasis: αὐτὸς Ἰησοῦς μετ' ἑσέως καὶ αἱμάτων, i. e. appropriatam carnem & sanguinem habet, prout in protali de Pueris extans verbum κακοινωνία Beza vertit: *Participes sunt*: & Flacius exponit: *Habuerunt, vel habent carnem & sanguinem*. Et quidem rectè. Alias enim sequeretur, Pueros prius existere, quàm habeant carnem. Similiter & Jesus dicitur μετέχειν particeps esse carnis, & Relationes & Actiones ut, habere fratres, esse principem salutis, illos sanctificare & commissos sibi habere pueros ejusdem carnis & sanguinis, præsupponunt existentiam personæ σὺν ἑσέως. Licet enim Filius Dei extiterit, antequam communicaret carni & sanguini, tamen tunc nondum erat persona σὺν ἑσέως. Et sic in v. 16. *Assumere semen est ex assumptione vel assumptum habere*, sicut v. sequente 17. ὁμοιωθῆναι rectiùs per *similis esse* quàm ut Beza & Vulg. habent, per *similis fieri*, vertitur. Tunc temporis enim quando tentabatur CHRISTUS non fiebat demum homo, sed jam jam Incarnatus erat.

§. 4. Hæ prædicationes ex *Unitione* resultantes ita comparatæ sunt, ut in illis, non *abstracta naturarum* de se invicem prædicentur, sed *concretum unius nature* (unita h. e. quatenus unita est alteri, & pro ratione ac modo unionis consideratur, uti benè addidit & explicavit istud Mentz. *Disp. X. Tom. V. Marpur. §. 21. 22. p. 89 90.*) prædicetur de *concreto alterius nature*, quæ tamen non absolutè, sed relativè accipienda sunt, quatenus ipsam Personam connotant fundamentaliter. Non enim dico: *Divinitas est Humanitas, Humana Natura est Divinitas*, rectè autem dico: *Deus est Homo, & Homo est Deus*. Probat hoc Chemnitius p. 32. b. (1.) *autoritate Scripturæ*, quæ ita loquatur, & sequentes propositiones allegat: *Filius Hominis est Filius DEI*, Matth. XVI. 13. 16. *Filius Mariæ est Filius DEI*, Luc. I. 35. *Filius Mariæ est & vocatur Immanuel* Matth. I. 21. 22. *Germen Davidis est Jehovah* Jer. XXIII. 5. (2.) idem pag. 33. a. certâ ratione ostendit. *Quia enim*, inquit *duæ illæ Nature uniuntur in CHRISTO, non ad unam Naturam compositam, sed ad unam ὁμοιωθῆναι σὺν ἑσέως, ideo non una natura prædicatur de altera, sed Concretum Unius Nature prædicatur de concreto alterius Nature*. Vid. Mentzer. *Disput. XIII. Append. Giessens. §. 14. p. 693.* & Gerhardin *Exeg. §. 156. pag. 1298.* Legatur idem Chem.



*Chemnit. in fin. c. XIV. p. 92.* ubi prædicationes *Unionis* cum prædicationibus *Communicationis Idiomatum* non confundit; sed ex occasione tantum simul illas propositiones explicat, quas antea in *c. V. 32. a. & 33. b.* perspicuis & claris verbis distinxerat.

§. 5. Neq; obstat, quòd nonnulli ex *Veteribus & recentioribus Orthodoxis* interdum posuerint *abstractum* loco subjecti, ut *Gesnerus Disp. XII. in F. C. c. I. §. 7. p. 300. b. & alii*, atq; hæcæ frequentarint phrasales: *Humana Natura est Deus, Caro est Deus, &c.* quæ & *Lutherus*, ad quem in *Colloquio Hertzbergensi* provocavit *D. Jacobus Andreæ*, in *Postillis Domest. in fest. Concept.* usurpaverit eam: *So nahend ist er zu uns kommen/inquit, pag. 559. a.* daß er eben das *Fleisch/Blut/Beine/an sich* genommen hat! (doch ohne Sünde) das wir haben. Diesen Trost höret der Teuffel ungern / daß unser *Fleisch und Blut Gottes Sohn/ ja Gott selbst ist/ und* regieret im *Himmel über alles.* Nam *Abstractum* pro *Concreto* illi posuerunt, quod *Chemnitius in Colloquio Hertzbergensi juxta Acta à D. Johanne Oleario Hale Sax. 1594. edita*, ostendit, ac monuit, *apud plerosq; Scriptores abstracta vocabula sæpè pro concretis* (licet improprie *Chemnit. c. V. p. 101.*) *usurpari, & imprimis vocabulum carnis* ita sumi. Notavit ibidem, aliud esse juxta regulas accuratissime loqui. Hodie verò ubi videmus, offensivas esse has phrasas, Orthodoxi abstinere ab illis, Et formavit regulam *Chemn. c. V. p. 92. b. Concreta non predicantur de Abstractis.* Nec sequitur, *Humana Natura Christi est omniscia, omnipotens. E. etiam est Deus.* Non enim par ratio est nominis *Dei, Filius Dei, & attributorum essentialium divinorum* adjectivè sumtorum. Nam *esse Deum, Filium DEI, predicatur in quid personaliter: Esse Omnipotentem, Omniscium, predicatur in quale personaliter.* Et sicut *Humana Natura*, ut ut subsistat in *Filio* subsistentiâ divinâ, non propterea dicitur ipsa *Omniscientia, Omnipresentia*: ita & non potest dici *θεός, λόγος*, sed *θεοθεΐα, λογοθεΐα*, *Vid. Hütter. in Elenchomeno Sadaele p. 238. Mentz. in Anti-Martinio p. 313. Brochm. Art. de Persona Christi p. 822. Schröder. in Sceptro regali q. 220. 757.*

§. 6. Orthodoxi Theologi ad propositiones personales referunt etiam illas, in quibus *Concretum* unius naturæ prædicatur de *Concreto persona*, ut: *Christus est Deus, est Filius DEI, est homo.*

Vt



Ut ut autem propriè & exquisitè dictas propositiones personales tales non esse Gerhard. in Exeg. de Pers. CHRISTI §. 155, pag. 1291. 1292. & §. 169. p. 1307. aliquot rationibus ostenderit, quàm etiam sequitur Brochmand. in L. de CHRISTO Θεωσφωπω p. 829. simpliciter tamen ex numero propositionum personalium illas non excludunt, neq; excludi possunt. Unde & Chemnitius c. XIII. p. 92. inter personales propositiones, ubi concreta naturarum de se invicem prædicantur, eas refert. Etenim, propositiones hæ non enunciant tantùm dualitatem naturarum, sed ipsum etiam Unionis terminum, Unitatem scil. personæ, & prædicata earum non secundùm differentias naturarum considerantur, sed secundùm Unionem, ac semper limitationem hanc, subintellectam habent. Nimirùm, quia naturæ istæ in se differentes non sunt separatae, verùm realissimè unitæ, ideò prædicata, de subiecto non tantùm essentialiter prædicantur, quatenus distinctè illæ considerantur, sed etiam personaliter quâ conjuncta sunt per & propter Unionem, personalem. Unde propositiones hæ: *Christus est Homo & Christus est Deus*, non tantùm ita resolvuntur: *Christus est Homo, Humanitate sua, & est Deus Deitate suâ* scil. essentialiter; sed etiam: *est Homo Deitate suâ, & est Ratio est Deus Humanitate suâ vel secundùm Humanam Naturam*, scil. personaliter, quia Unio Personalis ex propositione hac complexam facit & efficit, ut prædicata hæc possint conjunctim tribui Christo, prout & ex duabus Naturis personaliter unitis constat, & alterutrius Naturæ subiectum est, per Unionem Personalem, Mentzer. in Martino Elenchomeno Disput. VI. §. 351. seqq. p. 182. seqq. Ac proinde hæ propositiones non tantùm Hereticos redarguunt, qui Naturas impugnant; sed etiam Nestorium, quatenus propter Unionem Personalem iste homo qui de Christo prædicatur, in Filiû Dei assumtus est, & Deus qui de Christo prædicatur homo factus est. Unde sicut ex istis propositionibus: *Christus est Deus; Christus est Homo*: rectè infero: *Ergo Homo est Deus, vel qui est homo est etiã Deus*: Ita etiam ex illis propositionibus: *Christus est homo, Christus est Deus*: rectè colligo: *Ergo Deus est Homo*. Et Nestorius istas propositiones simpliciter non concessit, sed tantùm quoad distinctionem naturarum; quia autem negavit talem personam Christi



Christi Unitatem quæ conjuncta esset cum unius hypostaseos commu-  
nitate, & cum Naturarum communione, ac statuit accidentalem quan-  
dam unionem, quæ DEI Filius accidentaliter sibi univit filium hominis,  
inhabitando in homine & faciendo, ut conjunctissima esset utriusq; (fi-  
lii DEI & filii hominis) voluntas, operando per hominem, eiq; suum,  
nomen & dignitatem communicando.

IV. Propositiones Personales ad alios modos præ-  
dicandi consuetos & usitatos reduci non possunt, sed  
modum prædicandi singularem habent, qui à nobis  
vocatur *inusitatus*, Chemn. p. 33. a.

§. 1. Non modò inter Scholasticos Doctores, sed etiam inter Ortho-  
doxos & Heterodoxos acriter, quin imò inter ipsos Orthodoxos modeste  
controvertitur circa prædicandi modum in his propositionibus latentem.  
Sed Chemnitius pro rectissimâ & simplicissimâ, sententiam Bonaventura  
habet, qui in 3. Sentent. Distinct. VII. artic. I. q. I. ita hanc rem expo-  
nit: Ideo homo prædicatur de Deo; quia unitur ei in Unitate Personæ, &  
quemadmodum hæc Unio est singularis, non mirum si singularem modum exi-  
git prædicandi. Et per hoc patet illud quod ultimò quærebatur, quia talis  
prædicatio non reducitur ad alios modos prædicandi consuetos. In sententia  
Chemnitii, Orthodoxi Doctores primarij acquiescunt. Gerlach, Diss. IV. T. I.  
Theol. §. 267. p. 334. Mentzer, in AntiMartin. p. 359. Hütter in F. C. art. IIX.  
p. 754. Meisner part. I. Phil. Sobr. Sect. I q. IX, X. p. 274. seqq. Gerhard. in Exeg.  
de Pers. Christi §. 158. p. 1263. Schroder. in Sceptro Regali Christi p. 9, 10. We-  
ber. in Tract. I. de Abstr. & Concr. p. 40. seqq. Latè etiam hanc sententiam  
probat ac vindicat Dn. D. Hornejus in Exerc. II. Log. §. 38. seqq. p. 50. seqq.  
item in Institut. Log. qv. XIX. integra pag. 89 seqq. ubi pag. 100. ostendit,  
quâ ratione Logicus circa has propositiones versetur. Quia enim pro-  
positiones veræ sunt, explicat Logicus, quid singulare in istis occurrat,  
& quomodo à communi prædicandi more abluant, de quo tamen ex  
Theologia, nec aliunde, ei constare cœpit. Hoc & non aliud B.  
Meisnerus voluit, quando l. all. q. XI. p. 202. propositiones hæc appella-  
vit non Logicas. Neq; enim hæc ejus mens fuit, quòd Logicus planè  
non proponere eas, & tractare de illis possit, si præsertim fidelis sit, & ex  
Theologia mysterium Unionis Personalis cognoscat, sed quòd ex communi  
B præ



*prædicabilium doctrina* non judicare possit, quales illæ sint, sed tantum ostendat, quantum à communibus prædicabilibus abeant.

§. 2. Non ergò propositiones hæc vel *identicæ* sunt, vel *essentiales*, vel *accidentales*, sed *singulares* ac *inusuata*, & quæ nequeunt referri ad modos prædicandi in communi prædicandi ratione usitatos, ut in Scriptura, ubi mysterium Unionis Personalis designatur, sint frequentes. Vid. *Gerh. l. all. p. 160. 161. 162. p. 1298. seqq.*

§. 3. An verò propterea *verbales* sunt, aut *tropica*, aut *impropria* propositiones illæ? *Nequaquam*. Qualis enim Unio est, talis etiam prædicatio. Unio est verissima & propria, & Filius Dei verè ac verus homo est, & non vel per similitudinem quandam ita appellatur, vel verbaliter ita dicitur. Quomodo ergò prædicationes istæ impropriae vel verbales esse possunt? *Non de solis phrasibus seu modis loquendi aut de nudis prædicationibus b. l. agitur*, inquit *Chemnitius C. XII. p. 74. b.* Res enim, non verba tantum sunt, quæ hoc loco considerare jubemur. Nā *Natura in Christo non singula seorsim, sola per se subsistunt; sed Persona subsistit in duabus illis Naturis*. Et paulo post: *Hæc omnia non sunt verbalia, sed maxime realia*. A nemine autem Orthodoxorū *Maxima ista concedi potest: Quod est inusuatum, id est improprium, vel id est verbale tantum*. Ipsa miracula, ut in communi cursu Naturæ vel maxime defleant, nihil tamen hinc vel proprietatis vel veritatis suæ illis decedit. Videatur *Gerh. l. all. §. 158. p. 129. & §. 164. p. 1303.*

§. 4. Neque *Danaum* juvat distinctio, quæ in *c. XII. p. 1419. Exam. Chemnitii libelli de duab. Nat.* distinguit inter *totum Unitum, & totum Unitum*, ut ipsissima ejus verba sonant. Utut & concedat hanc propositionem: *DEVS est homo*, esse *realem*, ipsius personæ ratione: negat tamen eam *realem* esse ratione divinæ naturæ. Addit rationem: quia *Christi Deitas non est Humanitas: neque è contrario: Humanitas Christi est Deitas*. Nil juvat eum, distinctio hæc. Si quidem cum *cæteris sociis suis Beza in Colloq. Mompelg. à se edito pag. 157.* & cum *hodiernis Jesuitis Bellarmio l. III. de Christo c. 9. §. Secundo, &c.* hypothesein hanc fovet, in illis propositionibus personalibus, Deum de homine, & hominem de DEO prædicari, non ratione *formarum* i. e. respectu *divinæ & humane Naturæ*, sed tantum ratione *suppositi*, unde *Rivetius in Comm. Psal. Prophetie, in Psal. XVI. p. 72.* valde commendat regulam hanc: *Quod dicit-*



*dicitur de Toto aliquo, non dicitur de toto alicujus.* Hoc verò prorsus falsum est & erroneum. Etsi enim Deus & Homo, Homo et Deus, in persona Christi non prædicentur, invicem ratione formarum s. naturarum suarum, quoad *essentias s. essentialiter* consideratarum, unde & non in abstracto de se invicem prædicantur, quod unice ratio à *Daneò* allegata evincit: tamen ratione illarum ipsarum naturarum etiam prædicationes istæ fiunt, prout in personâ unâ subsistunt, & quatenus una divina sc. Naturam suam hypostasim communicat alteri Naturæ nempe humanæ, & Humana subsistit communicatâ divinâ subsistentiâ.

§. 5. Πῶς τὸν ἑῶδ' ὅτι omnis abominationis Calvinistica & Jesuitica est, quod statuunt, Christum esse Totum aliquod integrale & Diversum quiddam præter suas naturas. Hinc ajunt, id quod Totius Christi est, non esse partem vel naturæ. At verò Christus est Totum personale & non est Aliquid præter suas naturas, sed τὸ συναμφοτέρον.

V. Omnis *Analysis* propositionum Personalium, quæ non *immediatè* duarum Naturarum Unionem exprimit, earum quæ in Unitate personæ communicationem; pro sana, solida & orthodoxa haberi non potest.

§. 1. Hoc γνώριμα bonæ ἀναλύσεως Chemn. 32. b. & 33. a. notavit, & ex eo de Calvinistarū & Jesuitarū analysi judicari optimè potest.

§. 2. Hinc non tantum exploditur illa ἀνάλυσις quam *Lutherus* hæreticissimam vocat, quæ, *Deus est Homo* per illam exponitur: *Deus hominem assumptum gerit, sustentat, fovet, assumptum habet*; sed etiam omnes ceteræ perversitates excluduntur, ubi *alius* fingit ἀλλοίωσιν, & illam propositionem *Filius Dei est Filius Mariæ* ita resolvit: *Filius Dei, qui assumpsit humanam Naturam, est essentialis Deus*: *Alius* fingit esse propositiones *identicas*, quibus idem de ipso, *Filius Dei de sua persona*, denominatâ ab humana Natura, regulariter & essentialiter prædicetur: *Alius* propositionem simplicem resolvit in compositam: *Ea ipsa persona, quæ est Deus verus, etiam simul Homo est, &c.* Omnes hæ Analyses non exprimunt immediatè duarum Naturarum unionem & communionem. Nihil auditur de *Unione*, cum Persona de ipsa Persona identicè prædicatur; aut, cum voces, *Deus, Filius Dei, Homo, Filius Hominis*



essentialiter vel secundum proprietatem Naturæ cujusq; exponuntur: Aut, cum illę ipse voces concretæ, *Deus, Homo*, sic accipiuntur, ut non connotent Naturas; cum tamen ipsa, *Unio, Uti* vel maximè hic attenditur: ita in ἀνάλυσις etiam propositionem attendi debeat. Non enim aliud sunt hæ præpositiones quàm *Documentum Unionis Personalis*, cuius causâ etiam hæc ἀνάλυσις instituitur.

§. 3. Ita autem institui debet *Analysis*, ut una Christi Natura in *subiecto*, & altera in *predicato* exprimatur, per copulam verò talium propositionum *immediatè Unio* significetur, sive, ut *Scholastici* loquuntur, *Concretio*, propter quam una Natura de altera predicatur in concreto, quæ inusitata prædicationum descriptio apud *Philippum* est; seu ut *Chem.* p. 32. b. magis adhuc perspicuè loqui amat, dum concretum unius Naturæ predicatur de Concreto alterius Naturæ. Ita enim cognoscitur, duas Naturas in una Persona, quemadmodum *Concilium Chalcedonense* ait, concurrere. Nimirum *Deus est Homo, quia tota Deitatis τὸ λόγος plenitudo in assumpta natura personaliter habitat & λόγος est hypostasis, non tantum Divine sue Naturæ, verum etiam assumptæ Humanæ Naturæ. Homo est Deus, quia Humana Natura in Christo non in sese subsistit, sed λόγον habet pro hypostasi & Divinam Naturam personaliter sibi unitam habet*, quæ verba *Chemnitii* sunt, p. 33, a. repetita & exposita à *Mentz*. in

*AntiMartin*, p. 357. 358. 359. *Hutter*, art. IIX. F. C.

pag. 753. seqq.

F I N I S,







AB 42  $\frac{3}{i,9}$

VO 17









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

D LOCOS

XII.

IS PER-

ENTI

unione

PZOVV SS. Theol.  
d D. Thomz

loga-Siles.

48.

LEAL.

13